



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

x. De Sponsalibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

potestas, traditur ordinato: de cuius speciebus, differentijs, & gradibus, satis videtur superiore libro dictum esse. Vnde solum nunc restat, vt ad matrimonij materiam orationem vertamus.

DE SACRAMENTO  
matrimonij,  
TITVLVS IX.

Quid sit matrimonium. h. d.

*a* in sum. 27.  
q. 2. §. sanē.  
cap. illud.  
extra. de  
præsump.

**M**atrimonium<sup>a</sup> est viri & mulieris coniunctio, in diuina vitæ consuetudinem continens, cum diuini & humani iuris communicatio-  
ne.

*Matrimonium præcedit alia sacramenta, ratione loci in quo instituitur, temporis, amplitudinis, & mysterij. h. d.*

Et merito inter alia sacramenta Matrimonium quoque annumerari meruit, cum cæteris loci, temporis, amplitudinis, & mysterij ratione etiam præcellat. Siquidem ab orbis primordio in Paradiso à Deo ipso institutum est, vt esset omnibus etiam infidelibus commune, quod in alijs minimè cõtingit. His illud quoq; accedit<sup>b</sup>, quod animorũ consensus & corporũ commixtio, quæ in matrimonio intercedunt, primum quidem charitatem significat, quæ consistit in spiritu inter Deum & iustam animam, vel Ecclesiã: alterum verò sacrosanctum cõiugium designat, quod inter

*b* cap. debitum. extra. de bigamis.

Christum & Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum.

*Bona matrimonij sunt sacramentum, fides, proles, & fornicationis remedium. h. d.*

Consequuntur & inde præter sacramentum, & alia bona: vtputà<sup>c</sup>, fides, & proles, & quòd humana infirmitas in ruinam turpitudinis prona, honestate excepta coniugij, minimè læditur. Initiatur autem matrimonium sponsione, consensu ratificatur, & copula consumatur: de quibus singulis distinctius dispiciamus.

*c* can. omne.  
27. q. 2.

DE SPONSALIBVS,  
TITVLVS X.

Quid sint sponsalia, & unde dicantur. h. d.

**S**ponsalia<sup>d</sup> sunt futurarũ nuptiarum mentio, & re promissio: & dicta sunt à spondendo, quòd per ea sibi inuicẽ se futuros coniuges viri & mulieres spondent.

*d* can. nostrates. 30. q. 5.  
glos. 1. cap. licet. extra. de trans. episcop.

*Sponsalia contrahuntur re, uerbis, literis, et consensu. h. d.*

Contrahuntur autem sponsalia varijs modis: vtputà, re, uerbis, literis, & consensu. Re cõtrahuntur per nudã subarrhationem, vel anuli immisionem. Verbis, vt si inter virum & mulierem pmissio super futuro matrimonio intercesserit, veluti altero alteri vice mutua dicẽte: Ego<sup>e</sup> te accipiam in meum maritum: & ego te in meam uxorem, siue in hunc sensum uerba similia protule-

*e* cap. pen. extra. cod.

k

rint. Literis, vt cū absentes inter se de futuris nuptijs per epistolā paciscuntur: quod ipsum & per nuncium, vel procuratorem fieri poterit.

*Procurator ad contrahendum matrimonium, non potest substituere, nisi hoc habeat in mandatis. h. d.*

*cap. fin. de procur. in 6*

Procurator tamē ad hoc specialiter constitutus, ob magnū, quod ex facto tam arduo posset periculū imminere, aliū substituere nō poterit, nisi hoc ei specialiter commissum fuerit.

*Si duo impuberes, quorum prudentia nō supplet aetatem, & qui pubertati non sint proximi, uel etiam alter tantum sit impubes, per uerba de praesenti matrimonium contraxerint: talis contractus resoluitur in sponsalia de futuro & ex eo inducitur iustitia publicae honestatis. h. d.*

*b. cap. 1. §. i. dem. de desponsat. in pub. in 6.*

Consensu<sup>b</sup> contrahuntur sponsalia: vt cū pubes & impubes, vel duo impuberes, nō proximi pubertati, & in quibus aetatem prudentia nō supplet, matrimonium per uerba cōtraxerint de praesenti. Licet enim uerba in praesens matrimonium sonent, iuris tamen interpretatione in sponsalia de futuro resoluitur. Quo casu dicta sponsalia, licet contrahentes matrimonium celebrare intenderent, coniugiū, quod ab initio aetate impediente, vt matrimonium nō tenuit, per aduentum pubertatis minime conualescit, nisi per carnis copulam subsequutam, vel aliū modum cōtrahentes cum eiuf-

dem perseverantia uoluntatis, ad pubertatis tempora peruenisse euidenter constiterit: per dictum tamen contractum, qui ualuit vt potuit, non licēti agebatur, publicae honestatis iustitia censetur inducta.

*In re denominanda potius effectum attendimus. quam modum. h. d.*

Et ideo hoc casu consensu cōtracta spōsalia dicimus: quia, si uerba spectes, non sponsalia, sed ipsum matrimonium cōtractum uideri poterit. Censuerūt autem iura eos, qui, cū nō possent, coniugiū de facto contraxerunt, uoluisse etiā in casu quo possent, contrahere: ideoq; saltem, vt sponsalia, ualere conuentionem.

*Sponsalia contrahuntur tripliciter, purē, in diem, & sub conditione. & qui contraxerunt sponsalia purē, compellendi sunt etiam matrimonium contrahere. & consanguinei contrahentium non debent cum ipsis contrahentibus contrahere. h. d.*

Rursus contrahuntur sponsalia, aut purē, aut adiecta die, aut sub conditione. Purē<sup>c</sup>, vt cū vir & mulier se inuicem futuros coniuges pollicentur. Et hoc casu nullus consanguineorum aliquo pacto alterum ex cōtrahentibus matrimonio sibi copulare poterit: imō qui cōtraxerūt, vt se inuicē recipiant, & mutua cōiugali affectione pertractent, moneri, & nisi rationalis causa obsister, Ecclesiastica censura compelli poterunt.

Si

*cap. 2. §. cap. ex lit. ris. et 2. ex. cod. tit.*

Si per contrahentem sponsalia in diem, non stetit quò minus matrimonium contraheret intra terminum, cum alia postmodum matrimonium contrahere poterit. h. d.

Dies adijcitur sponsalibus, cum quis intra certum temporis spatium aliquam se ducturum in uxorem conuenit: in qua specie, si per eum non steterit, quò minus intra præfixum terminum cum eadem matrimonium contraheret, liberè ad nuptias alterius transire poterit.

Sponsalia contracta sub conditione, euanescent conditione deficiente, nisi ab ea recessum fuerit. h. d.

Sub conditione celebrantur sponsalia, cum quis, si quid fiet vel contigerit, nuptias se contracturum pollicetur: veluti si dictum fuerit, Ego te in uxorem accipiam, si centum mihi dederis: aut, si pater meus contulerit: quibus conditionibus deficiente, ad matrimonium quis compelli non poterit, nisi consensus de præsentibus, aut carnalis sit inter eos commixtio subsequuta, cum his casibus à conditionibus recessum videatur.

Turpes conditiones adiectæ sponsalibus uel matrimonio non uitiunt, sed uitiuntur nisi sint contra substantiam & naturam coniugij. h. d.

Hoc tamen de his conditionibus intelligere nos oportet, quæ honestæ sunt, & Canonicis institutis non contrariæ: nam si turpes sint, aut impossibiles, ob fauorè matrimonij debent pro non adiectis censerit: si tamè nõ

solum turpes sint, sed etiam contra substantiam, uel naturam coniugij: puta, si alter dicat alteri: Tecum contraho si generationem proliis cuius ueris, uel idoneæ aliam honore uel facultatibus digniorem inueniam, aut si pro quæstu adulterandam te tradideris: matrimonialis contractus, quantumcunque sit fauorabilis, omni carebit effectu.

Minores septennio non possunt sponsalia contrahere, & contracta lapsu temporis non conualescunt, nisi noua uoluntas accesserit, aut nixus copulæ interuenerit. h. d.

Non tamen omnibus, cuiuscumque sint ætatis, licet sponsalia contrahere: nam inter minores septennio celebrata, nullius roboris efficaciam sortiuntur: ideoque si infantes, uel unus maior septennio, alter minor, sponsalia contraxerint ipsi, uel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, siue aliâs uerbo, uel facto eosdem in eadè uoluntate factos maiores perdurare liquido appareat, sponsalia huiusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè conualescunt: & ideo cum sint nulla, ratione defectus consensus, publicæ honestatis iustitiam non inducunt. Si tamen cum ea, quam nondum septennem domum quis traduxerit, copulæ nixus intercesserit, aliud statuendum erit.

Qui contraxerunt sponsalia, debent compelli ad matrimonium, nisi aliquid triste timeant. h. d.

b c fi extr. de conditio. sp p o.

e cap. accessit. extra. de despo. imp. ca. 1. in pri. de desponsat. impub. in 6.

*a* cap. 2. ext. cod. Initiatum igitur sponsalibus matrimonium fide consensus ratificari debet. Quod si qui se contrahendo matrimonio fide sibi dederunt, se inuicē admittere omnino noluerint: instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, dissolutio tolerari poterit: cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.

*Non sunt audiendi impuberes uolentes dissolueri sponsalia, sed expectandum tempus pubertatis. h. d.*

*b* cap. de illis. extr. de desponsa. impub. De illis, qui infra annos aptos matrimonio sponsalia contrahunt, quæri poterit: & sanè, siue uterq; siue alter reclamet, & antequam ad annos matrimonij aptos peruenerint, separari postulent, non sunt audiendi: si uero alteruter istorum ad pubertatis annos peruenerit, infra eosdem annos altero existente, cum sponsalia contraherentur, si is, qui minoris est ætatis, ad pubertatis annos perueniens reclamauerit, nec in alterum consentire uoluerit, iudicio Ecclesiæ separari poterunt.

*Mulier uiripotens contrahens cum impubere, non potest resilire, sed impubes factus pubes potest h. d.*

*c* cap. de illis. §. mulier. extr. de desponsa. impub. Mulier quoque, quæ nobiles annos attingens, ei qui nondum matrimonio erat apud, nupsit, cum in eum semel consenserit, amplius dissentire non poterit, nisi ipse, cui nupsit, postquam ad

legitimam ætatem peruenerit, in eam suum negauerit præstare consensum.

*Contrahens sponsalia cum impubere coactè, non tenetur expectare impubem. h. d.*

Hæc tamen de his dicta intelliguntur, quæ spontè cum minoribus sponsalia contraxerint. Si qua enim non tam sponte sua, quam à parentibus coacta, cum impubere contraxerit, & domum traducta fuerit, licet aliquando ibi inuita permanferit, si puerum usque ad annum decimum quartum minimè expectandum duxerit, ei alium sibi virum accipiendi libera concedenda facultas erit.

*Sponsalia contracta à parentibus, non tenent, nisi filij assentiant & ratificent. h. d.*

Non ablimile est *d*, quod de sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus frequenter contrahunt, statuitur: nam si quidè ipsi filij expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentibus fuerint, nec contradixerint, obligantur: & ex eis oritur publicæ honestatis iustitia. Idem etiã obtinet, si filij tempore sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia post scientes, & prudentes ratificauerunt tacitè, vel expressè: aliàs ex sponsalibus contractis à parentibus pro filiis, nec ipsi obligantur, nec publicæ honestatis iustitia inde exoritur.

*Sponsalia dissoluntur ipso iure, quando non habetur ratio uoluntatis contrahentium. h. d.*

*Dis-*

*d* cap. 1. §. ff. de desponsa. impub. in 6.

Dissoluantur sponsalia, aut ipso iure, aut facto hominis. Ipso iure tunc dicuntur sponsalia dissolui, vt cum nulla habita ratione voluntatis & consensus partium, ex certa superueniente causa distrahuntur: vt ex contractu matrimonij, sacrorum ordinum susceptione, religionis ingressu, cognationis interuentu.

*Matrimonium per uerba de presenti contractum, tollit sponsalia præcedentia, & iuramento firmata: sed matrimonium contractum per uerba de presenti, non irritatur etiam sequuta copula. h. d.*

Si quis igitur eam, quæ tibi desponsata fuerat, per uerba sibi iunxerit de presenti, etiam si inter te & ipsam sponsalia iuramento firmata extitissent, dum tamen copula non interuenierit, nihilo minus per secundum matrimonium, etiam te inuito, tolluntur: licet fidem frangentibus salutaris sit iniungenda poenitentia: quanquam, si prius per uerba contraxisses de presenti, ita firmum maneret matrimonium, vt per secundum, etiam secuta copula, tolli non possit. Nec enim vt pactionis fidem interdum frangi iura sustinent, ita etiam fidem consensus aboleri permittunt.

*Per susceptionem sacrorum ordinum, & ingressum monasterij dissoluantur sponsalia. hoc dicit.*

Item ex contrario, Si quis sa-

cris ordinibus fuerit insignitus, aut religionem fuerit ingressus, pari ratione soluantur sponsalia. Consultrius tamen egerit, quæ certam mulierem se ducturum in uxorem fortè iureiurando firmauerit, si antea contrahendo iusiurandum seruauerit, posteaque nulla subsequente carnali copula religionem ingrediatur.

*Affinitas superueniens dirimit sponsalia de futuro. h. d.*

Item si inter sponsum & sponsam affinitas superueniat: ut puta, si sponsum propinquam sponsæ cognouisse, aut manifestum sit, aut de hoc sit publicè diffamatus, aut spiritualis inter eos cognatio intercesserit: dissoluantur inter eos sponsalia, nec ad matrimonium perueniri poterit.

*Ponit, quomodo facto hominis sponsalia dissoluantur. h. d.*

Facto hominis dissoluantur sponsalia, vel contrario utriusque contrahentis consensu, vel cum legitima emergente causa, dissolutione alterius tantum voluntati permittitur: veluti, ex fornicatione, absentia, membrorum amissione, incurabilis morbi interuentu.

*Sponsalia dissoluantur contrario consensu, nec poenæ appositio sponsalibus apposta, aliquid operatur. h. d.*

Si contrahentes igitur, vel sese inuicem liberent, vel impubes contrahens adueniente puber-

*a cap. 2. ext. de coact. co. iug.*

*b cap. 2. ext. de consang. & affim.*

*c can. 2. 32. q. 1. can. apostolus. et can. omnes. 32. q. 7. capit. discretionem. ext. de eo qui cogn. consang.*

rate, ratum nolit habere matrimonium, dissolventur sponsalia: nec aliquid proderit, quod sub certa pœna contracta fuerint: cum enim libera matrimonia esse deceat, pœnarum inanis omnis est adiectio.

a ca. bema.  
§. cum ita  
que. extra.  
cod. lit.

Ob fornicationem post sponsalia etiam iuramento firmata commissa, potest quis licite rescilire & id quod coniunctos disungit, multo magis impedit coniungendos. h. d.

b cap. quem  
admodum.  
extra. de iu  
reiran.

Vnius quoq; tantum dissensu etiam iurati solvuntur interdum sponsalia, veluti si quis aliquam se in uxorem ducturum iurauerit, & ea postmodum fornicata fuerit: nam licet eidem fornicationem non possit opponere præcedentem, ob subsequente tamen poterit eadem in coniugem non ducere: quia illi iuramento talis inest conditio, si illa contra regulam desponsationis non venerit: alioqui si post huiusmodi iuramentum publica meretrix fieret, teneretur eam in uxorem ducere: quod est profusum absurdum. Nam si post contractum coniugium, vir propter fornicationem licite potest à sua cohabitatione recedere: longè fortius ante coniugium celebratum sponsus sponsam poterit non admittere.

Carnalis, & spiritualis fornicatio æquiparantur. h. d.

Idem erit, si sponsus, vel sponsa idololatrando, vel hæresim sequendo in spiritualem forni-

onem inciderit.

Si sponsi conferant se ad remotas regiones, sponsæ possunt se ad aliorum nuptias conferre, recepta, si peccauerint, pœnitentia. h. d.

Sed & si qui præstito iuramento promittant aliquas se mulieres ducturos, posteaq; illis non cognitis, procul recedentes, ad alias partes se transferant, liberum erit mulieribus ad alia migrare vota: recepta tamen de periurio, si forte iuramentum præstiterint, pœnitentia, si per eas steterit, quod minus fuerit matrimonium consumatum.

c cap. de illis.  
extra. cod.

Lepra, vel similis morbus sponsalia dirimit, licet non dirimat matrimonium. h. d.

Item si sponsus, aut sponsa, leprosus fiat, vel leprosa: paralyticus, vel paralytica: aut nasum, vel oculos amittat: aut quid sibi turpius eueniat: ad consumandam maritalem copulam compelli non debent: licet iam contractum matrimonium superueniens lepra, vel alius morbus non dirimat.

d ca. 1. & ff.  
extra. de  
conugio  
proso.

## DE NVPTIIS, TITVLVS XI.

Ponit subordinationem præsentis Tituli ad præcedentia, & sequentia. h. d.

Exposuimus hætenus, quid esset matrimonium, quæ ratione inter sacramenta reponatur, admonentes illud initiari sponsalibus, consensu ratificari, & copula consumari. Sed cum proximè de sponsalibus, tan-